



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digres. 36. Qutenus cum phantasia aut sine phantasia sit intellectio, ad
tex. com. 121

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

Sexta intel- lectus est sensus similitudo.
 Quod ergo ait Philosophus, sextam continebit sensus & intellectus similitudinem. Nam quod sunt in sensu sensilia, hoc intellectui sunt phantasmata. Sensus ad sensibilibus mouetur, & intellectus irem à phantasmatis: & ut sensus præsentibus eget sensibilibus, ut sensibilibus actum promat, ita & intellectus phantasmatis indiget ad intelligendū. Quam propositionem etiam Philosophus absque probatione videatur accipere, ex vniuersa tamen superiori disputatione colligit qua facultatū animæ subordinatio fuit stabilita. Nam si vna ministrat alteri; sensus exteriores communi sensui, hicque phantasia, supra phantasia solus superest intellectus, cui illa ministrat obiectum; verèque phantasmata perinde ad intellectum se habent, ac sensilia ad sensum & phantasia. Potius tamen hic phantasia, que sensum considerat, nominèque phantasia significauit; quod ea maxime ad rem præsentem faceret: atque hæc philosophi est propositio; Vt se habent sensilia, sensibilibus exterioribus & interiori communi percepta, ad phantasia; ita phantasmata, que in phantasia sunt; se habent ad intellectum. Perinde tamen constabit sententia, si ad sensum vniuersè referatur, tum exteriorem, tum interiorem; vt se habent sensilia ad sensum, ita phantasmata ad intellectum, seu dianam.

Quamquam alia quædam interpretatio esse potest, & meo quidem iudicio perquam accommodata: si hæc omnia verba superioribus omnibus ita respondeant, vt que de sensu prodita sunt, in intellectu simili modo ostendantur habere. Sensibile dixerat in tex. 28. ex eo, quod potestate sensitiuum est, actu sentiens efficere. Eandem nunc in intellectu vim habere inquit phantasmata, esseque ceu sensilia in sensu, dum intellectum ad intelligendum mouent & faciunt actu. Rursum de sensu adiunxit (cum autem iucundum aut molestum, quasi affirmans aut negans, prosequitur aut fugit) & nunc de intellectu addit (cum bonum aut malum dixerit aut negauerit) coniungendo scilicet cum phantasmate bonum aut malum (non quasi, vt sensus; sed absolute & omnino affirmans aut negans: quippe illius propria est affirmatio & negatio, quatenus cognitam aut esse bonam aut non bonam) fugit aut prosequitur. Perinde namque intellectus affirmationem aut negationem appetitio boni comitatur fugam mali, ac sensus cognitionem iucundi aut molesti prosequitio sequitur aut auersio.

Sed tacite illud quibusdam videtur subnotari discrimen; quod in sensu non statim ex apprehensione appetitio sequitur aut fuga: sed delectatio aut dolor, indeque appetitio aut fuga; vt in tex. 29. dicebatur. At in intellectu statim ex affirmatione aut negatione boni vel mali prosequitio nascitur aut auersio, volitio aut nolitio. Etenim intellectus percipit bonum & malum per se, quatenus talia sunt: sensus non item, sed solum quatenus illud suauis est & iucundum, hoc insuauis & molestum. Quæ ratio potior est, quam ea, qua vtitur S. Thomas. Quoniam scilicet intellectus bonum vniuersum apprehendit, sensus autem determinatum bonum. Nisi enim vniuersum bonū dicat bonum vt bonum; & bonum determinatum, bonum suauis & iucundum; parum profectò est accommodata ratio. Perinde namque si intellectus donum aliquod particulare ac determinatum dicat esse bonum, voluntas statim amplectitur, & malum item particulare auersatur, etsi delectatio aut dolor non antecesserint: & intellectus

actiuus circa particularia & determinata bona vel mala versatur. Atqui in intellectu quoque, si non delectatio, voluptas certè reperitur, dum contempletur rei que cuiuspiam cognitionem assequitur. Cuiuspiritalis quidem opponitur displicentia. Et actiuum intellectum voluptate ac tristitia vti ait Philoponus. Ita & in sensu & in intellectu omnia fuerint paria.

Sed quoniam Philosophus perinde ad intellectum dixit se habere phantasmata, ac se habent ad sensum sensilia; atque à phantasmatis intellectum, vt à sensibilibus sensum, ex potestate ad actum deduci; verè consequens illud est, quod ex his colligit, sine phantasmatis nunquam intelligere animam, quemadmodum nec sensus sine sensibilibus sentit. Quam si quis septimam dixerit esse sensus & intellectus similitudinem, verè mea quidem sententia dixerit. Quapropter hæc erit nostræ cognitionis progressio. Primus omnium operatur sensus circa præsentia sensilia deinde sensui succedit phantasia, sensibilibusque phantasmata: ac demum post phantasia intellectus accedit, qui à phantasmatis in phantasia contentis excitatus suas notiones format. Verèque ex hoc loco aduersus Auempacem deduxit Auerroës, notiones intellectus non ita se habere ad phantasmata, sicut colores ad coloratum corpus & qualitas ad subiectum, sed vt color ad visum. Vt enim color visum ad videndum mouet, ita & phantasmata intellectum ad intelligendum: Atque vt phantasmata sunt in phantasia; sic & intellectus notiones seu intellectilia in intellectu; qui propterea locus formarum esse dicitur, atque intelligendo fieri omnia.

DIGRESSIO XXXVI.

Quatenus cum phantasia aut sine phantasia sit intellectus.

Ceterum hic subsistendum tantisper est, dum ijs satisfacimus, qui ad intellectus nostri immortalitatem impugnandam abutuntur his Philosophi verbis. Sic autem argumentationem instruant suam.

In primo huius operis libro tex. 12. tum eam dubitationem proposuisset Philosophus, an animæ facultates omnes & operationes toti coniuncto communes sint, an verò aliqua in sola insit anima: cumque plerumque communes esse constaret, ac de solo intellectu dubitari posse videretur; generalem eam pronuntiauit sententiam, ex qua iudicium faciendum esset; Si intelligere est phantasia aut non sine phantasia, non poterit utique hoc sine corpore esse. Et rursum in tex. 13. si aliquam anima operationem habeat propriam, poterit à corpore separari, quod si nullam habeat, separabilis non erit. Huic propositioni assumptionem subiungit ex hoc, quem modo interpretati sumus, loco; Nunquam sine phantasmate intelligit anima: & rursum post ex tex. 39. Cum contempletur, necesse est cum phantasmate contemplari. Ex quibus intellectum intelligentemque animam mortalem omnino esse concludunt.

At multis modis responderetur. Prima responsio Auerroës est, & eorum, qui animam nostram intelligentiam ponunt separatam, vnamque humanam toti assistentem speciei. Eam namque essentia inquit separatam esse, duplicemque operationem habere; æternam vnam sibi propriam & absque phantasia; alteram in nobis & cum phantasmate: Priorèmq; separabilem mirum esse, posteriorem autem ab hoc quidem & illo homine separari, at nunquam à tota specie. Ita Phi-

Septima intellectus est sensus similitudo

Phantasia maius ad intellectum se habent

Contra immortalitatem intellectus

Prima responsio

84
 imz fa
 iolophi
 necpro
 opit
 rationem
 tum ab
 dendum
 e solim
 cio. Sed
 insupe
 quon
 stentio
 ali cog
 tam, que
 tructem
 s & in
 pponet
 lectum
 tac vo
 es solas
 terales
 tum in
 auribus
 tate co
 su, hæc
 us dilin
 us Scin
 titus est
 um vel
 lectu
 actus.
 a ræp
 ius ab
 sensu
 negans
 ne phan
 i. Philo
 Thome
 ed ablo
 gentem
 tumque
 theore
 tiam
 deteme
 cogita
 is com
 dictum
 em an
 tricum,
 do sibi
 ment.
 ri dicit
 & me
 firmat
 nodum
 Quod

losophi sententiam illam, si intelligere phantasia est aut non sine phantasia, separari non potest, de operatione, non de essentia interpretantur.

Verum contra hanc opinionem disputatum in superioribus est, planèque ostensum, eam non esse animam nostram naturam & conditionem. Neque vllus est nostrum, qui duplex illud in seipso animaduertat operationis genus. Quare quod in secundo Analyticorum libro text. 27. Platoni principiorum & scientiæ habitus inesse nobis à natura insitos assenti obicit Philosophus, credendum non esse habere nos tam magnum in nobis bonum & ignorare, multò magis interpretibus hiis licet obijcere, dum intellectione illa loquuntur, quam à corpore & phantasia assentur non pendere. Denique non de operationibus, sed de anima, cuius naturam ex operationibus inuestigat, Philosophum in primo libro loqui testantur illa verba in tex. 13. *ei δὲ οὐδὲν ἐστὶν ἄλλο πῶς φρονεῖν ἢ πρὸς τὸν ἴδιον, ἀπὸ ἐξουσίας αὐτοῦ καὶ οὐκ ἔστιν ἄλλο.* Illud enim (αὐτοῦ) referri non potest nisi ad animam. Nam ἐξουσία & πρὸς τὸν ἴδιον generis sunt.

2. responsio. sio.

Altera responsio Philoponi fuit in commentario illius tex. 12. argumentationem eam homonymiæ vitio laborare: illamque particulam (non sine) tres acceptiones habere posse. Interdum enim coniunctionem rei significat, quæ nec profit nec obicit: vt si corpus in sole dixeris sine vmbra non esse. Aliquando verò vilitatem & necessariam connexionem: vt si Achillem dicas non sine lancea & armis virum se strenuum præstitisse, aut ignem non sine approximatione vel calore calefacere. Nonnunquam demum impedimentum potius: vt si nautes hyeme affirmes non sine periculo aut procellis nauigare. At cum dicitur, si intelligere non est sine phantasia, vilitatem indicat necessariamque coniunctionem, velut instrumenti ad operationes proprias obeundas. Vbi verò in hoc tertio libro additur, intellectiõnem sine phantasia non esse, impedimentum potius intelligendi significat, dum ipsa puro intellectus actui ingerit se eumque perturbat. Alioqui purus intellectiõnis actus absq. phantasia est, quorumdamque intellectiõnum nullum reperitur phantasia, & idem *ἀφαντασία* vocantur, vt immaterialia substantiæ, & intellectiõnia prima, de quibus post in tex. 36.

Vellem equidem hæc, vt acutè fuerunt excogitata, sic verè responderi posse. Sed quò minus fortasse verè respondeantur, hæc faciunt. Primum homonymiæ vitium, quo Philosophi orationem laborasse credendum non est. Deinde quòd animam sine phantasmate non intelligere, colligit is hoc loco ea sensus & intellectus similitudine, qua phantasmata in intellectu se habent vt sensilia in sensu: sensilia verò tantum abest, vt sensui impedimento sint, vt maximè potius necessaria sint si sentire debeant. Quocirca & nunquam animam sine phantasmate intelligere ait, & rursum, cum contemplatur necessariam esse cum phantasmate contemplari: quæ verba non impedimentum, sed necessitatem summam significant. Et cum intelligens anima sit naturalis corporis forma, naturaliter quoque operatur in eo illiusque sensibus & phantasia iunatur.

Tertia responsio.

Tertia responsio eiusdem fuit Philoponi in hoc tertio libro. Triplici namque intellectiõnum genere distincto; primo immaterialium entium, altero entium mathematicorum, tertio entium materia-

lium: immaterialia inquit sunt intellectiõnia prima, secunda intellectiõnia media, & tertia materialia. Materialia intelligit intellectus cum sensu & phantasia: sensus inquam & phantasia interuentu, vbi aut de illis delibere, aut à rebus singulis naturas separat vniuersas. Mathematica cum phantasia, dum ea quasi à sensibus separata consideranda sunt proponit. Immaterialia demum non cum phantasia, sed per phantasia, dum ex sensibus, quæ per phantasia cognoscit, euehitur ad intellectiõnem. Diuinam quippe prouidentiam ex rerum vtilitate mundiue huius aspectabilis ornatu cognoscimus. Quare phantasia semper habet annexam, nec semper tamen cum phantasia intelligit. Atque in primorum quidem intellectiõnum intellectiõne phantasia non vtitur vt instrumento; sed potestatem ad illa euectus est per phantasia, mox et sine phantasia contemplatur: in cæteris verò vtitur. Nec tamen intellectiõnem, idem est cum phantasia, neque intellectus idem cum phantasia. Phantasia quoque substantiam non cognoscit, sed qualitates solas & accidentia, quæ sensibus ingeruntur, quam ob causam in Theæreto Plato eam dixit substantiam non attingere: intellectus autem substantias nouit. Quædam igitur sunt, quæ sine phantasia intelliguntur. Themistius quoque cap. 13. phantasiæ necessitatem ad mathematica & sensilia entia contemplanda contraxisse videtur.

Quarta responsio Simplicij fuit. Is Philosophum admonuit dixisse quidem nos nunquam sine phantasia intelligere, non tamen intellectum affirmatè phantasia vti. Aliquando enim non vtitur, cum intellectu simul phantasia quoque mouentur. Deinde Philosophi verba de solo intellectu actiõ accipienda esse contendit. Hic enim vt circa res singulas & materiales versatur, quæ sensibus bariuntur & phantasia; sic sine phantasia simul operante nunquam intelligere affirmatur. Deque hoc intellectu nunc Philosopho sermonem fuisse, tum superiora testantur: quippe de theoretico dictum est, theoreticarum cognitiõnum supremam separari & esse hoc solum quod est, & esse idem ipsius, & substantia esse actum, imparabilem, & immixtum. Tum ea, quæ hic habentur: dum non intellectum aut theoriam, sed diuinitatem nominant, eamque circa bonum & malum profectendo aut fugiendo versari dicit: quæ vt procul abest à theoretico intellectu, sic ad eum, qui in agendo versatur, maximè pertinent. Quòd si obijciat Simplicio, mox in tex. 39. de theoretico quoque intellectu philosophum dicturum (& cum conuenit contemplari) responderi pro eo potest, de sensibili singularium & mathematicorum intellectiõne sermonem esse: quæ cum phantasia quidem intelliguntur, non tamen phantasia vsu: Immaterialia verò & prima intellectiõnia *ἀφαντασία* esse: quodiam enim illorum sit phantasia: Sicut & substantiæ, relationis, vniuersalium, bonitatis & malitiæ, veritatis & falsitatis, rei cuiusque quidditatis, vel etiam accidentium sensibilem.

Quinta responsio fuit S. Thomæ. Operationem quampiam duobus modis pendere à corpore potest: aut tanquam à subiecto, cui inhaeret; & instrumento, quo vtitur: aut tanquam ab obiecto, circa quod versetur. Intellectio namque à corpore & phantasia priori sanè modo non pendet, sed posteriori duntaxat. Priòrque Philosophi propositio eam

Dionysius

ab obiecto pendere, omni modo accipiendum est. Duo namque intellectione continentur. Alterum est apprehensio obiecti. Alterum vero de illo apprehensio iudicium. Apprehensio sane phantasmatis intuitione constat, nec ullam apprehendimus rem, nisi sub sensibili aliqua imagine, quae in phantasia insit. At iudicium de apprehensa re omnino à phantasia liberum est. Nam etsi intellectui proponatur Deus aut intelligentia separata velut corporeum quidpiam, quantum, figura & colore præditum; iudicat tamen intellectus eiusmodi nihil in substantiis illis contineri; sed meliorem illas habere naturam, eamque spiritalem. Quod autem apprehensio egeat phantasia, ex eo nascitur, quod anima nostra est huius corporis forma. A corpore separata sine villo phantasmate intelligitur: nunc vero, ut in corpore degit, sic ex corpore corporisque sensibus accipere cogitur intelligendum obiectum, adfertque corpus intellectui impedimentum. Quocirca si rursus illi propositioni (si intelligere phantasia est aut non sine phantasia, non potest esse sine corpore) assumptionem hanc subiicias; sed intellectus phantasia non est, & quamvis ex accidenti perceptio prima obiecti egeat phantasia, quod corporis forma sit intellectus; absolute tamen non eget & omnino absque phantasia est illius iudicium; profecto conclusis intellectum sine corpore esse posse. Cæteræ operationes, quod suapte natura pendet à corpore, inseparabilem semper ostendunt eam esse formam, à qua oriuntur. At intellectio cum natura sua non pendeat, independente ac separato principio indiget: & si quæ intellectio aliquo modo pendeat aliunde id fit; principiumque indicat, quod quoquo quidem modo respiciat corpus, sua tamen natura separari possit.

Itaque si libuerit, septimam hanc responsonem ad hunc modum instruere poteris: si intelligere phantasia est aut non sine phantasia, ita ut absolute ab illa pendeat, tam iudicando, quam apprehendendo; plane separari non potest; quia non est propria solius animæ operatio, sed materialis tota atque à corpore pendens. At iudicium à phantasia non pendet: apprehensio autem pendet quidem, quatenus anima est huius corporis actus; non tamen per se & sua natura; ut in intelligentiarum separatarum apprehensione apparet: & si nostra ipsa apprehensio per se penderet, non posset iudicium opposito modo & absque phantasia esse.

Octava responso fuerit: si intelligere phantasia est aut non sine phantasia, ita ut per se & sua natura pendeat ab illa; separari non potest: quia quod conuenit per se & secundum naturam; semper & ubique conuenit. Verum hoc intellectu neganda erit assumptio. Quoniam enim intellectus non solum est corporis forma, quemadmodum cæteræ naturales formæ; sed etiam intellectus est & immaterialis, ut intelligentiæ separatæ; etsi ut est forma, obiectio pendeat à phantasia & sensibus corporis; quatenus tamen intellectus est, potest absque illis intelligere; ut cæterarum intelligentiarum intellectio confirmat.

Nona & postrema responso esse poterit, philosophum in primo libro nihil affirmare, sed probabili ratione disputasse, num omnes animæ actiones, toti habenti communes sint. Nam & perdifficilem ait quæstionem esse: & utitur verbo

Intellectiois
duas partes.

Septima
respon-
sio.

Octava
respon-
sio.

Nona
respon-
sio.

(videtur) quod probabilem differendi modum indicat: & eo videtur adferre rationem, que suadere possit actiones omnes esse communes; & adduxisse antiquos, ut nihil inter intellectum & sensum credere interese. Et mox subiungens (maximè autem simile proprio est intelligere) alietam quasi quæstionem partem probans intellectionem adfert solius animæ propriam. Sed tamen ne hanc quidem animæ propriam esse nec sine vtu corporis exerceri potest conatur; quia nil aliud, quam phantasia aut certe non sine phantasia videtur esse. Et quamvis adhiberi ea distinctio possit, quam in sancti Thomæ responso posuimus; eam tamen prætermisit, ut propositæ quæstionis difficultas appareret: præsertim quod eius loci non esset copiosior illius explicatio; sed ex natura intellectus cognitione penderet, quæ in tertium librum differenda erat. In hoc autem eum esse corpori impermistum & immaterialem, corporis tamen actum docet: & idè ad eam quasi quæstionem respondens, intelligentem ait intueri phantasmata; hoc est intellectum phantasmata quidem non esse, ea tamen egere vt obiecto. Neque ex illa primi libri disputatione quidquam de animæ hostis mortalitate aut immortalitate colligitur. Sed solum in tex. 13. quæstionem eam addit tam esse grauem, vt ex ea pendeat mortalitatis immortalitatisque cognitio, quam tantopere homines omnes desiderant. Si enim aliqua sit animæ propria operatio, cum ea poterit à corpore separari: sin minus, non poterit.

TEXTVS.

Ἐπεὶ δὲ ὁ ἀπὸ τῶν κατὰ τὴν ἀπόδειξιν ἐπινοηθέντων ἡ ἀπόδειξις τοῦ ὅτι ἡ ψυχή ἐστι ἀθάνατος, τὸ δὲ λογιστικὸν ἔχει μὴ μόνον τὸ εἶναι ἄψυχο, ἀλλὰ καὶ τὸ εἶναι ἄψυχο.

Quemadmodum autem ac pupillam talem efficit, ipsa vero aliud; & auditus eodem modo, vltimum autem vnum, & vna medietas, esse verò ipsi plura.

COMMENTARIVS CXXII.

Hunc locum prætermisit plane Themistius, in modò & alia consequentia non pauca. Quo consilio, non facile dixerim. Præclaram quippe & nouam quandam doctrinam continent. Consentuntque cæteri omnes eam esse adhuc intellectus & sensus comparationem ac similitudinem. Quod vox illa (quemadmodum) satis ostendit. Cui cum nihil reddatur simile, eam ad superiora Simplicius refert. Et Philoponus alterum similitudinis membrum subaudiendum putat. Ad superiora igitur Simplicius refert, quibus intellectum sensum iam similem dixit; quod vt sensus iucundum & molestum, sit intellectus bonum & malum diiudicat. Sed cum nunc subiungit modum; vt quemadmodum sensus iucundum & molestum comparat, sic & intellectus bonum & malum; profecto simile simile.

simili reddi, & altero explicato subaudiendum alterum est. Modus vero operationis est is, qui novam & nondum hactenus significatam similitudinem habet.

Quamquam ego non id agi opinor, neque superiora illa philosophum dixerim respexisse: sed illa magis, dianæ phantasmata esse ut sensilia sensui. Quam similitudinem ita nunc exponit, ut vnum membrum dicat, alterum subaudiendum relinquat. Si .n. dianæ & intellectui phantasmata sunt ut sensilia sensui; quod de sensilibus fuerit dictum, fuerit idem de phantasmatibus intelligendum. Sensus extrema & contraria, ut album & nigrum; immo & diversi generis sensilia, ut album & dulce, diiudicat. Sed non statim ea ad communem illum iudicem, album & nigrum ad particularem aspectus sensum; album & dulce ad communem, deducuntur: sed prius particularis sensus organum afficitur, organum que affectum afficit facultatem; ac illuminatus pupillam illuminat videndi organum & talem efficit, qualis est ipse; ipsa vero videndi facultatem mouet: & in auditu sonus tympanum auris pulsat, hocque sensum ad audiendum excitat: eodemque in ceteris particularibus sensibus modo res habet. Neque ad interiorum communem sensum exteriora sensilia pertingunt, nisi per exteriores sensus. Hi namque à sensilibus suis permoti communi renunciant iudici; priusque oportet particulares sensus affici, tum ab his communem illum permoueri. Eodem modo euenit in intellectu, dum à phantasmatibus ad intelligendum deducitur. Hæc enim ab obiectis per sensus ad phantasmata traducuntur ibique formantur phantasmata, quæ intellectus inspicit: & ut operationem interioris sensus exterior antecedit, sic intellectio-nem phantasmæ actio præcurrit.

Quænam intellectus & sensus similitudo.

A partibilem & agentem & patientem, & potestate & actu & habitu, & theoreticum & actiuum, distinguuntur.

Si postrema hæc interpretatio sit vera, nihil fuerit subaudiendum: sed particula illi (quemadmodum) hoc vltimum reddetur membrum; integrale sensus & intellectus comparatio constabit. Sin autem duas priores, alteram cum Philopono, alteram cum Simplicio probare malueris; subaudiendum illud erit, quod est de intellectu. Omninoque ex his habemus vnicum inesse in nobis intellectum omnium intellectuum iudicem; siue theoretica ea sint, siue agenda; siue ut vera & falsa considerentur, siue ut bona & mala. Nam quod Simplicius plures videtur ponere intellectus actiuos ad vnum communem intellectum comportantes, ut plures sint particulares sensus in communem vnum confluentes; nullo modo probandum neque philosopho consentaneum est. Vnicus enim est intellectus, qui de agendis omnibus, bonis aut malis iudicat: ut & theoreticus vnus de veris cunctis & falsis. Immo & vnus, qui de veris & falsis, deque bonis & malis, & omnino de cognoscendis & agendis: Quod in quibusdam cognitione sola contentus sit, alia referat ad actionem; appetitione quoque aut fuga circa illa commotis.

Intellectus in nobis vnicus.

TEXTVS.

Τὴν δὲ ἐπιχείρησιν ἢ διακρίσει γινώσκοντες ὅτι θεμελίον, ἀπὸ τῶν ἐξ ἑστέρας, λαμβάνει τὸ ἴδιον ὅτι ἐν τῷ, ἔτιω δὲ ἔστι δὲ ἐστ.

D Quo vero diiudicat, quo differt dulce & calidum, & prius dictum est, & nunc dicendum. Vnum enim quiddam est: ita vero, ut terminus.

COMMENTARIVS CXXIII.

Obscura non est horum verborum sententia, etsi ob breuitatem obscurior. Simplicio videatur. Dum enim & iudicem quaerit inter dulce & calidum; & eum in superioribus constitutum fuisse commemorat; manifestum est de communi sensu sermonem esse, quem inter diuersorum sensuum obiecta demonstratum fuit sententiam ferre. Sed paucissimis nunc verbis totam illam disputationem colligit. Et ita colligit, ut simul etiam summo compendio rationem exponat, qua communis sensus vnus cum sit, plurium possit esse iudex. Sed in superioribus de illo absolute & secundum se considerato dictum est; nunc per comparationem ad intellectum dicendum item est.

Ergo vnum quiddam esse inquit, quod iudicet, & ita vnum, ut sit veluti terminus. Vnum enim esse communem sensum antea ostendit, ab exteriorum sensuum multitudine diuersum; & veluti punctum & centrum in medio circuli ambitu, quod terminus est linearum omnium, quæ ab ambitu ad medium ducuntur. Quare quod antea punctum vocauit, terminum nunc appellat; & verè terminus est, quoniam ad eum exteriores omnes sensus ter-

Sensus communis punctum terminum.

TTTT ij

est, id explicare Philosophū, quod de proportionis & numeri unitate dixerat. Sed magnopere vereor, ne in verbis quidpiam desideretur; neque (τὰ βέλγη - νη) sed (τὰ ἴδια βέλγη) non inquam homogēna & quę eiusdem generis sunt; sed non homogēna & quę generis eiusdem non sunt, legendum sit. Nā & Auerroem & S. Thomam ita legisse atque interpretatos fuisse video. Immo & Philoponū; qui contraria visus est intellexisse homogēna; eiusdē, inquit, generis vocat album & nigrum; diuersorum autem generum album & dulce. Certē homogēna & contraria non benē videntur tanquā opposita membra numerari; siquidem contraria sub eodem genere continentur: homogēnaque sunt, album & nigrum, dulce & amarum: quibus eterogēna & ea quę generis eiusdem non sunt, ut dulce & album, opponenda erunt. Accedit quod ut obiectorum propriorum & diuersorum, sensus particularis & communis, facta erat mentio; ita de obiectis eiusdem & non eiusdem generis dicendū erat. Et Simplicius homogēna & eiusdem generis obiecta interpretatus est ea, quę diuersi generis sunt, album & dulce, quatenus sub vniuerso sensiliū genere continentur. Quod an accommodatē fuerit dictum, alijs iudicandum relinquo. Ego cōstanter aio, dum de sensilibus loquimur, tantundem homogēna & contraria valere. Quoniam contraria in sensiliū genere homogēna & eiusdem generis sunt, eandemque sensilitatis rationē subeunt, dum ad eandem cognitricem facultatem pertinent; ut ad aspectum album & nigrum, quę velut contraria philosophus nominat. Quare tanquā diuersa & opposita membra homogēna & contraria non possunt accipi. Opponuntur autem optimatē contraria & non homogēna: quoniam illa eiusdem generis sunt, & eandem sensilitatis rationem eandemque cognoscentem facultatem habent: hęc & sunt generum diuersorum, & alia atque alia sensilitate prædita aliam atque aliam cognitionem faciunt.

Sensus
communis
vniuersus
plurium
obiectorum.

Propterea de his quoniam dubitare quis fortasse potuisset, quomodo si diuersorum generum sunt & ad facultates diuersas pertinent, ab vnica illa cōprehendantur: respondet Philosophus, non magis de hoc dubitandum esse, quā quomodo singuli particulares sensus contraria complectantur; ut aspectus album & nigrum. Itaque A, & B, accipit tanquā contraria eiusdem generis, album & nigrum; & C, D, velut obiecta diuersi generis, dulce & calidum: atque ita ratiocinatur. Ut se habet, A, ad B, album ad nigrum, ita & C, ad D, dulce ad calidum: & vice versa ut se habet, C, ad D, dulce ad calidum, ita & A, ad B, album ad nigrum. Si igitur, A, & B, insunt vni atque ab vno particulari sensu cognoscuntur; C, quoque & D, inerunt vni & cōmuni vno sensu cōprehendi poterunt. Vno inquam re ipsa, esse autem & ratione non vno; sed ut ad diuersa diuersas habet habitudines: quemadmodum & in particulari euenit sensu, dum idem existens diuersa contraria per diuersas ad illa habitudines dignoscit. Illud quippe solum interest, quod album & nigrum & omnino contraria sub eodem genere proximo continentur; dulce autem & calidum ceteraque sensilia diuersorum sensuum, si nō proximum, remotum certē vnum habent genus, qualitatem sensilem; estque utrobique obiecti unitas ea, quę satis sit unitati illi, quam dixit, tum proportionis, tum numeri. Et hæc quidem vna sit interpretatio.

A Altera verò voluisse hęc docere Philosophum id, quod dixerat de proportionis & numeri unitate, euenire perinde, siue in obiectis eiusdem, siue diuersi generis: & A, B, album & nigrum significare; & rursus, C, D, contrarietatem aliam similem, quam non nominat, ut dulce & amarum. Quare ita ratiocinatur. Ut se habet album ad nigrum, ita dulce ad amarum; utrobique enim contrarietas est. Si ergo album & nigrum dum cognoscuntur sunt vnum proportionē & numero; sicut item dulce & amarum. Ac rursus permutata proportionē, ut se habet album ad dulce, ita se habebit nigrum ad amarum: igitur non solum in eiusdem sed & in diuersi generis obiectis unitas erit proportionis & numeri.

B Sed quid inquit Philoponus, Auerroës, & S. Thomas? Sanē quod in his proportionem quoque sensus & intellectus agnoscunt, superioribus consentaneum est: hoc enim in tota superiori disputatione agebat philosophus. Nunc verò, A, & B, album & nigrum inquit significare, quę cognoscit sensus; C, autem & D, rationes eorum intellectuales Philoponus, eorumque phantasmata Auerroës & S. Thomas. Ut sicut se habet album ad nigrum, sic phantasma notiois albi habeat se ad phantasma seu notioem nigri; permutataque proportionē ita se habeat album ad phantasma notioem albi, sicut nigrum ad sui phantasma seu notioem: perindeque intellectus ad phantasma notioemque albi & nigri, atque ad album & nigrum sensus. Nimirum hæc ab vno sensu, illa ab vno intellectu iudicantur.

C Placet aliam quandam interpretationem adiungere fortasse non ineptam, qua nihil fuerit opus codicis nostri verbis addere; sed licebit legere, quę eiusdem generis iudicat aut contraria. Ea est; homogēna & eiusdem generis obiecta contrariis opponi, eaque significare, quę contraria non sunt, sed sub eodem genere similia & eiusdem quoque speciei; ut duo alba duoque nigra. Adferuntur autem hæc quoque obiecta eiusdem speciei, ne quid omnino prætermittatur, cum de contrariis & ijs, quę diuersorum generum sunt, fuisset dictum. Iam addit perinde esse siue contraria dicere siue similia specie. Ut enim ambo ad eundem pertinent sensum, sic eodem modo & proportionē & numero erunt vnum. Ergo, A, & B, album & nigrum; C, & D, duo alba duoque nigra significabunt; illa contraria, hæc homogēna & similia: eritque argumentū ab eo ductum, cui minus videtur inesse. Si enim, A, B, contraria insunt vni, multo magis, C, D, similia & eiusdem naturę inerunt sensui eorum iudici.

D Denique vbi addit (eadem autem ratio) id ipsum in diuersis ostendit, quod in contrariis docuerat. Siue namque contraria sumas, siue diuersa; perinde admonet confici vnum esse illorum sensum. Idemque fuerit intellectus quoque phantasmatum aut intellectilium omnium.

COMMENTARIUS CXXVII.

Cum intellectum dixisset & simul cum sensu circa praesentia operari, & sine sensu phantasia sola ut circa absentia, placuit utriusque exemplum subijcere. Oporationis circa praesentia simul cum sensu exemplum accipit accensam faciem & in signum aduentantium hostium tumultus in ciuitate erectam agitatumque. Hanc enim veterem fuisse consuetudinem testatur Ciceronis illud oratione vltima in Verrem; Praedonum aduentum significabat ignis de specula sublatus aut tumulo. Et illud Suidae; ἡ δὲ τῆν δόξαν γινώσκον ἐν πελάγους καμπαί. Et Thucydidis libro secundo, ἡ δὲ τὰς Ἀθήνας φρουρὰν τὴν ἐστὶν πελάγους, (etsi aliquierant πελάγους, alij φρουρὰν ἐπέσει). Qui hanc ergo faciem videt & accensam & agitatum, communi cognoscit aduentare hostem (sic enim ordinanda sunt verba) sensuque vsus quid agendum deliberat, atque arripit arma, aut sibi fuga consulit.

At quid est illud (communi cognoscit)? Commune S. Thomas interpretatus est aut facultatem aliquam communem omnium iudicem; aut id, quod communiter accidere solet. Ut haec sit sententia; ex eo, quod communiter accidere solet, adesse hostes cognoscit. Sed neque quis communis ille sit iudex indicium; neque posteriori intellectu consuevit Philosophus vocem illam vsurpare. Et fortasse interpretationis illius occasionem ex Auerroë accepit S. Thomas; nam is quoque communem propositionem exposuerat, ex qua cognoscimus ea omnia, quae consequentia sunt. Duas igitur apud Graecos, Simplicium & Philoponum, interpretationes reperies. Altera fuit; communi cognoscit, hoc est motu, qui commune sensibile est. Quam Aristoteli consentaneam fortasse dixeris; quia velut expositionem faciens dixit (communi cognoscit, videns motum) quasi videre motum sit communi cognoscere; quia motu, qui commune sensibile est, cognoscit. Verum si hoc voluisset Philosophus, non dixisset (τὴν κίνησιν) sed τὸν κίνησιν, ut cum αἰσθητῶν, quod subaudiendum erat, cohaereret. Altera vero communem sensum interpretatur; ac si τὴν κίνησιν αἰσθητῶν dictum fuisset. Qui quid enim particulari sensu cognoscitur, cognoscitur item communi. Sanè communis hic sensus sensibilium communis iudex appellatur & est. Hoc tamē obitare videtur; quod communis hic sensus aut cognoscere dicitur motum, aut ex motu cognito incursum hostium colligere. Motus particulari quoque sensu cognoscitur, nec erat opus communem cognoscen-tem aduocare. Ex facis autem motu aduentum hostium & imminens bellum colligere, rationis est, non sensus. Quare & Simplicius quoque cognoscit inquit, quod hostis, non tantum ex ipso sentite, sed etiam ex ratione. Ratiocinatione siquidem constat, qua ex vno aliud & ex noto ignotum colligitur; fax accensa mouetur, hostis igitur aduētat bellumque imminet. Quam ratiocinationem absolueris, si vnuerſa prius propositione accepta, subieceris eam, quae particularis est atque à sensu subministrata; fax mota hostium incursum significat, haec fax mouetur, incurrun igitur hostes. Prima propositio ad solum intellectum pertinet, licet ex hominum vsu & consuetudine fidem habeat; quod

A ad hostium incurſiones praecauendas eo vtamur signo: altera ex particulari sensu accipitur; totaque ratiocinatio & deductio rationis nimirum est, non sensus.

Communi igitur cognoscit, hoc est intellectu: quem duas ob causas communem vocat. Tum quod proximè superioribus verbis eum dixit & cum sensu & sine sensu operari, solo phantasia vsu: communemque dixit & sensui & phantasia, quod vtraque facultate vtatur; & vtrique operandi modo; quod & cum sensu & sine sensu operetur. Tum verò quod nunc, dum ita colligit, non solus, sed simul cum sensu agit; estque communis quasi vtriusque operatio. Si priorem causam spectes, communi cognoscit; hoc est non sensu, qui motam cernit faciem; neque phantasia, quae cum circa absentia quoque videretur, credi fortasse posset aduentantes praesentire hostes. Sed intellectu, qui communis quasi facultas est, tumque sensu tum phantasia vtitur. Sin verò posteriorem; communi cognoscit; hoc est non sensu solo neque intellectu solo, sed intellectu simul cum sensu. Hancque operationem alteri illi videtur opponere, qua intellectus solus absque sensu formas rerum non in sensibilibus ipsis praesentibus, sed in phantasmatibus intelligit. Propterea enim priori, in qua sensus motam videt faciem, posteriorem statim subiungit; in qua in phantasmatibus aut notionibus intellectus quasi videns ratiocinatur solus atque ex praesentibus, quae in phantasmatibus representantur, de futuris deliberat.

Propterea etiam tum phantasmata nominat, tum νοήματα. Etsi enim phantasia quoque generaliori vocabuli vsu νόσησιν interdum appelleret ideoque νοήματα interpretari liceat ipsamet phantasmata, quemadmodum tamen operatio est intellectus simul cum phantasia, sic fatius est phantasmata in phantasia, & νοήματα in intellectu considerare. Nā qui ratiocinatur, tum in phantasmatibus videt, quae illi sunt vt sensibilia sensui; tum in notionibus atque intellectibus, quas intellectus in se phantasmatibus inspectis format; velut intellectus in intellectuum rerum formas, quas in phantasmatibus intelligit. Ita ex praesentibus, quae accipit ex sensu, de futuris ipse ratiocinatur & deliberat; praesentium imagines in phantasmatibus habet, futura ipse coniecit.

Iam verò hic cogitatricem Auerroës intrudit, quasi tertiam virtutem, qua intellectus vtatur: vt aliquibus quidem intelligendis vtatur sensu, aliis phantasia; aliis etiam cogitatricem. At nec philosophus tertium hoc memorat membrum, sed sensum solum & phantasia: & aduersus illam de cogitatricem virtute sententiam alibi disputatum est.

TEXTVS.

Καὶ ὁπότε ἴσῃ, ὡς εἰπέ, τὸ ἴδιον ἢ λυπηρὸν, ἐπὶ αὐτῶν, φέρεται ἢ διόκει, ἢ ὄλας ἐν αἰσθητῶν.

Et cum dixerit, vt ibi incundum aut molestum, hic Tex. 34. fugit aut prosequitur, atque omnino in actione.

omnino abstracta intellectilia comprehendit; medius Mathematicus, qui illorum est, quæ in materia quidem sensili sunt, ab ea tamen separantur atque in dimensu & quantitate, velut intellectili materia, considerantur. Sensu & phantasia vitur actius, mathematicus phantasia sola, supremus ille nec sensu nec phantasia. Itaque medius est mathematicus, qui a sensu materiaque sensili absolutus, nec omnino foras protensus, vt actius; sed in se quodam modo manens, quatenus inruetur phantasmata, quæ foris non sunt; per phantasia & intellectilem materiam ad purum intellectum puraque intellectilia traducit, quæ ab omni materia tum sensili tum intellectili soluta sunt. Ideoque mathematicas disciplinas Academici medias appellarunt; quod nec prorsus materialia nec penitus immaterialia considerent, sed medio quasi consistant gradu.

Ceterum in promptu est obijcere, intellectum quidem actiuum & theoreticum sepe nominari, mathematicum autem nec vsquam legi nec vnquam audiri: quod ille ipse theoreticus est, neque diuersam facultatem, sed obiectum diuersum significat. Quod inuens philosophus dixit (quæ verò in abstractione dicuntur) quæ verba obiecti, non facultatis, diuersitatem indicant. Mathematicis autem vt ad explicanda naturalia fuit sanè philosopho nostro familiare: sed per mathematica ex naturalibus ad supernaturalia conscendere, Academicum magis est, quam Peripateticum.

Opinor ego duas Philosopho fuisse causas, vt hæc subiungeret. Alteram, quia proximè dixerat de ijs, quæ sine actione intelliguntur. Inde namque occasionem accepit de ijs quoque dicendi, quæ sine materia cognoscuntur. Alteram, quia cum entia materialia & sensilia cum sensu & phantasia, intendoque vel ipsa vel eorum phantasmata, posuisset intelligi; voluit quoque docere, quemadmodum ea intelligantur, quæ a sensibus separata sunt & vt separata intelliguntur. Et quoniam duplex est separatio, vna rationis, altera rei; illa à materia solum sensili, hæc tum à sensili tum ab intellectili, illa mathematicorum entium, hæc separatarum & immaterialium substantiarum: seorsim de vtroque entium genere dicit. Ac primum de mathematicis, quæ in abstractione dicuntur; quemadmodum etiam in tex. 11. nominauit. Cur autem ita dicantur, habes in tex. 18. lib. 2. Physic. Etenim si te ipsa considerentur, naturalia sunt, dum in naturalibus corporibus velut illorum termini & affectiones subsistunt. Nusquam enim magnitudinem reperias aut numerum, nisi in corporibus naturalibus. Neque mathematica vocantur, nisi vt mente ab illis & cogitatione separantur; atque non vt illorum termini & affectiones, sed per se & secundum suam naturam, qua proprietatum quarundam subiectum sunt, accipiuntur seorsim. Quod dum intellectus agit, non mentitur; quoniam nihil affirmat neque negat. Non .n. magnitudinem aut numerum à corporibus separatum ait in natura subsistere; sed hæc solum per se accipit; non acceptis corporibus, in quibus sunt. Quod non solum absque mendacio, sed etiam absque errore fieri potest; siquidem quantitas, tum coniancta, tum diiuncta, naturam habet à subiecto, in quo est, diuersam; quæ & per se consideretur, & proprietates habeat, quæ demonstrantur de illa. Sanè accidentia eadem à naturali philosopho consideran-

tur: sed hic sensum sequutus ea vt naturalis corporis terminos & affectiones contemplantur. Mathematicus a sensu recedens solaque phantasia vtens à corpore separat, eaque per se in phantasmate intuetur. Dumque phantasia in his vitur intellectus, verè dixit Philoponus instrumento eum impartibili vitur: quoniam non componit nec diuidit, non affirmat neque negat phantasia, separata hæc esse aut non esse; sed solum vt separata imaginatur. Moxque intellectus intelligit.

Sicut si simum (familiare philosopho exemplum) quatenus quidem simum intelligeret non separatè) quæ verba duobus modis accipi possunt. Aut ita; si simum vt simum intelligat, cauitatem separatam & in abstractione non intelliget. Si autem vt cauum, tunc demum cauitatem non separatam vt separatam habebit. Aut ita; si simum non quasi à naso separatum & seorsim existens intelligat (nusquam enim existit; & ita intelligens erraret) sed solum quatenus simum consideret, non considerato naso, in quo simitas inest. Quid autem simum, quatenus simum, significet; cauum subiunctio exponit. Cauitatem .n. significat; quæ si quis per se consideret, sine carne vtique & sine naso intelliget.

Ita verò prorsus quantitatem considerat mathematicus, quæ re ipsa quidem separata non est, sicut neque à carne aut naso cauitas, vt separata tamen à mathematico consideratur (parum verò interit, siue non separata vt separata, siue non separatè vt separatè Simplicius legat) quia neque caro aut nasus de essentia est aut definitione caui, nec subiectum de essentia & definitione quantitatis. Naturalis ite Philosophus vniuersam naturam abstrahit à rebus singulis, quoniam singularum principia & conditiones de natura vniuersæ essentia non sunt abstracte tamen nequit ab vniuersa materia, quoniam hæc illorum essentiam ac definitionem constituit. Quo argumento aduersus Platonem viam Aristotelem legimus in tex. 19. lib. 2. Physic. Minds namque abstracta sunt naturalia, quam mathematica. Quod ex definitionis vsu cognoscitur. Hæc namque sine materia & motu definiuntur, illa nequam: & omnino naturalia sunt sicut nasus simus, mathematica velut cauum seu curuū. Ita aliter Philosophi locorū mira est alterius explicatio.

Verum cur nunc cum simum dixisset, mutauerit, & dixerit cauum; alia etiam fortasse fuit causa. Quoniam simum non satis mathematicam abstractionem explicabat. Quippe, inquit Themistius, simitatem à naso præcidere intellectus non potest, propterea quod in simitatis definitione continetur & comprehenditur nasus: est enim simitas nasi cauitas. Cauum latius patet nec certè vni materiz alligatum est, sicut nec triangulus aut quadrangulus: idè sine materia intelligi queunt. Et Aristoteles ipse sententiam suam interpretatur in tex. 2. li. 6. Metaph. Differunt, inquit, simum & cauum, quoniam simum quidem vnà acceptum est cum materia: est enim simum cauis nasus: cauitas verò absque materia sensili.

Sed quod animam Philoponus separabilem esse colligit; si ea que separari non possunt, separatè intellectus; èd quod substantiale habeat separabile: parum firmo nititur argumento. Non .n. ita separata vt separata per se existant; sed vt vnum sine altero, cum quo cõiunctum est, cognoscatur. Quod sensui quoque commune est, dum simum cognoscit obiectum non cognitis adiunctis ceteris.

Diaporesis

Mathematica cur in abstractione dicantur.

Mathematicum

Digeſſi